TRACT

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30782053_0002

ORATIO
ANNIVERSARIA

In THEATRO
COLLEGII REGALIS
MEDICORUM LONDINENSIUM
EX
HARVÆI INSTITUTO
HABITA
POSTRIDIE *D. LUCÆ*, 1747.

ORATIO ANNIVERSARIA

In THEATRO
COLLEGII REGALIS
MEDICORUM LONDINENSIUM
EX
HARVÆI INSTITUTO
HABITA
POSTRIDIE *D. LUCÆ*, 1747.



LONDINI:
Proſtat venalis apud J. WHISTON, in Fleet-Street,
MDCCXLVII.

VIRO DIGNISSIMO

RICHARDO TYSON, M. D.

PRÆSIDI,

SOCIISQUE ORNATISSIMIS

COLLEGII REGALIS

MEDICORUM LONDINENSIUM,

HANC

ORATIONEM

ILLORUM HORTATU EDITAM,

Eâ quâ par eſt Obſervantiâ,

D. D.

JACOBUS HAWLEY.

ORATIO ANNIVERSARIA

In THEATRO

COLLEGII REGALIS MEDICORUM Londinenſium, &c.

SI vivis mortuiſve invidere, turpe ſit et odioſum; ſi benè meritos laudibus proſequi, pulchrum ſemper & laudabile; ſolennia hæc præconia nec alii poſſunt vituperare, nec vos iniquis unquam animis excipere. Cavendum quidem eſt, caveri ſi licet, ne, quorum amplificare non poſſumus,

mus, eorum imperitè dicendo, imminuamus gloriam. Non mediocris enim aut ingenii eſt, aut artis, tot taliumque virorum laudes, tot res præclarè geſtas, tam inſignia excellentiſſimæ virtutis, doctrinæ, munificentiæ exempla in brevi oratione, fidelitèr & dilucidè, enarrare. Atque hoc eo adhuc difficilius eſt, quod anteceſſores veſtri, non in unâ aliquâ arte, ſed ferè in omnibus ſinguli elaborârunt; non in humili aliquâ, ac re vulgari, ſed in ſcientiâ tam dignitate, quam utilitate præſtantiſſimâ, excelluerunt.

Tanto enim in honore apud primos homines ars noſtra habebatur, ut Immortalium inventioni ſit conſecrata; eamque profeſſi complures Deorum ordinibus adſcripti. Apud Ægyptios, qui doctrinæ principatum olim tenebant, reges aliquot, ſicut apud nos è magnatibus nonnulli, inter Æsculapii filios adnumerabantur; non ſceptro ſolum, ſed cultro anatomico inſigniti. De honore Hippocrati apud Græcos publicè habito, de victu quotidiano in Prytaneo dato (qui honos apud illos maximus) quis non audivit? Romanorum quidem in re militari perpetua fere occupatio ſcientiis excolendis otii non ſatis relinquebat. Sed cum imperium omnium gentium conſtitutum eſt,

artesque

arteſque apud eos cognitæ ſunt & receptæ, medicinæ profeſſores ſtatim civitate donati ſunt; & inter ſcientias, quibus major ineſt prudentia, hanc noſtram recenſet oratorum ille princeps CICERO; idemque, artibus ſuam cuique dignitatem tribuens, medicos cum imperatoribus conjungit. Dehinc ad hæc uſque tempora viros medicinæ ſcientes tantus populorum omnium favor amplexus eſt, ut perpetuum à regibus ſtipendium, honoris ergo, acceperint, & ſummæ proceribus fuerint æſtimationi.

Num teſtes quærimus locupletiores? Certè non eſt verendum, ne nobis nimium placeamus; aut ne vera de arte noſtrâ prædicando, gloriari videamur. Non eam profecto falſis laudibus exornamus; nec vana, nec inanis, eſſe poteſt ea fama, quam omnes gentes & ſecula, & omnes hominum ordines conſentiunt eſſe veriſſimam.

Sed age, miſſa faciamus teſtimonia, & dignitatem utilitate metiamur. Quid autem magis liberale ac munificum, quid utilius eſſe poteſt, quam opem ferre laborantibus, afflictos excitare, dare ſalutem, hominesque non ſolum in diuturnâ firmâque valetudine retinere, ſed vitam ipſam, jam jam fugacem, non raro revocare?

METRODORUS eum perfectè putat beatum, cui corpus benè conſtitutum ſit, & exploratum ita

ſemper fore. Quis autem eſt iſte, cui id exploratum eſſe poſſit? Si ita quidem fieri poſſet, aut ſi non eâ conditione naſceremur, quâ morti morbiſque ſubjecti ſimus, medicina quidem non multum uſui foret. Sed longè aliter ſe res habet. Quotus enim quiſque homo natus morborum incurſantium vi immunis eſt? Aut quis varia eorum genera, qui in vitam invadunt frequentes & infiniti, eamque vix vitalem reddunt, enumerare valeat?

Quis autem propter tam multa & tam varia morborum tormenta, aut dolore præſentium, aut metu impendentium, animo quieto eſſe poteſt? Quod ſi qua vel opum & honorum, vel regalis imperii gratia, vel ſi qua alia divinitùs oblectatio, vel laborum lenimen hominibus affulſit, ſine ſalute defloreſcunt omnia; ſine medicinâ brevia fiunt & caduca.

Sed à dignitate noſtræ artis ad eos, qui per eam ornati ipſam viciſſim ornaverint, jam veniendum. E tanto autem numero quem virum primò dicendum aggrediar? Hæſitat & circumſpectat oratio. Conſuetudini tamen dandum puto, nec tam conſuetudini, quam viri meritis, ut hujus collegii

ſocius ejus conditorem; latinè loquens, LINACRUM primum dicam.

Ab oratore quodam antiquo accepimus, de menſis Deorum etiam analecta eſſe ſedulò colligenda, ne quid ambroſiæ illius depereat. Sic in hoc viro minutiſſima quæque commemorari debent. Temporis tamen anguſtiâ accidit, ut è multis egregiè factis paucula tantum, huic uni propria, eaque ipſa parciſſimè dicenda, delibem: plurima autem, eaque permagna, quæ alii cuivis ſatis ad gloriam eſſent, penitus omittam. Omitto igitur dicere, quod principibus hujuſce, & aliarum civitatum viris, non aſſentando, ſed per artes egregias placuit: Nam id aliis quoque excellenti virtute viris, uni & alteri fortaſſe, contigit. Omitto quod, medicorum ſuæ ætatis facilè princeps & ferè ſolus, regiæ domûs ſanitati præfuit: Quod principi juventutis & ſaluti & ſtudiis, tum etiam moribus, erat admotus. Illud autem præcipuâ laude efferendum, illud, ſi quantum vellem poſſem quoque, pleniore ore dicendum cenſeo, quod Oxonii enutritus, non ſatis habuit quicquid in illo ſcientiæ domicilio potuit ediſcere, at ſapientiſſimi PLATONIS & PYTHAGORÆ æmulus, exteras oras adiit, & florentiſſima quæque regna & academias,

liberalium

liebralium artium, ſi quæ ubique exſtarent, relliquias colligendo, luſtravit; atque ita demum, ſapientiâ & literis onſtuus, negotiator ille felix in patriam eſt reverſus. O felicem hominem, qui tot artes invenit ac obtinuit! Ille vir utriuſque linguæ notitiam in Britannos primus invexit: Ille literas propè intermortuas renovavit. Hujus viri laus eſt, quod depulſâ, quæ toti regioni inſederat, caligine plus quam Ægyptiacâ, populus in tenebris degens vidit literarum lumen; unde omnibus artibus mirificus illico vel ortus, vel incrementum acceſſit. Cœpit præſertim medicina, quin & ipſa religio, ſtatim ſe reſpicere, ſe male habitas agnoſcere, & à vitiis & ſordibus repurgare. Ecce vir dignus quem præceptorem & patronum vocet Erasmus! qui doctiſſimo celeberrimi Mori ornetur præconio!

Cum ſcientiæ omnes, ſicut imperium, iis ſolum artibus retinendæ ſunt, quibus initio partæ; Latini ſermonis, & medendi ſcientiam, ſcriptorum ſuorum monumentis, ſeræ poſteritati conſecravit Linacrus. Medicinam vero, quam interiore quodam amore fovit, perpetuitate donandi cupidus, prælectiones apud utramque academiam, ſtipendiis donatas, inſtituit. Sed ad eam rem, quam tantoperè expetivit, nihil omnium ab homine

mine excogitari ſapientius, nihil præclarius potuit, quam quod hoc collegium ex ſenatûs auctoritate fundavit, atque ita munivit, ut hodie ſtet illius inſtitutis conſervandis, & quaſi veſtigiis perſequendis.

Jure igitur, poſt hanc inſtitutam ſocietatem, ſecundis uſque laboribus crevit ars medica, & ita ab humili ducta venit ad ſummum, ut brevi tempore plures exſtiterint præſtantes medendi gloriâ viri, quam per omnia retro ſecula: qui viri omnibus omnium gentium medicis longè præcelluerunt. Ex hoc collegio meri principes, tanquam ex equo Trojano, exierunt: CAIUS, CALDWALDUS, GOULSTONUS, HARVEIUS, HAMEIUS, & alii præterea complures, quos longum eſſet enumerare. Hoc omnes LINACRO debet Britannia, plures adhuc in perpetuum debitura.

Quanquam vero LINACRUM omnibus merito anteponimus, CAIUM tamen nemini poſtponamus. Artis medicæ fores, apertas à LINACRO, CAIUS intravit. LINACRUS hoc collegium fundavit, CAIUS multis emolumentis & honorum inſignibus auxit. Quum igitur LINACRO, ſocii, ritè, ut ſpero, parentavimus, certè voluimus, quis hunc dignior qui excipiat in oratione noſtrâ, quam veneranda

neranda ille dignitate vir, pulvinari, caduceo, libro, & ſigillo novo ritu decorus? Ita LINACRO ſuo per omnia ſimillimus, ut quaſi ad ipſius imaginem compoſitus videatur. Eadem ſtudiorum veſtigia ingreſſus, iiſdem diligentiâ, & ingenio, & artibus apud ſuos, apud exteros, apud proceres & reges eandem famæ celebritatem adeptus & gratiam, eâdem præditus in genus humanum benevolentiâ, eâdem in medicorum filios munificentiâ; ita ut nobis conditor etiam videatur futurus fuiſſe, niſi eum honorem, ut qui quondam in vacua venerant, prius occupando cepiſſet LINACRUS. Quid enim aliud oſtendit illa apud Cantabrigienſes liberalitas, quæ coloniam illam fœcundam collocavit, ſicut arbores futuris ſeculis profuturas? Sed quomodocunque ea ſe res habet, rei publicæ medicæ & procurandæ & augendæ omni curâ & cogitatione totus incubuit. Nam & præſes eâ cum fide & vigilantiâ in ſuo munere verſatus eſt, ut ſe à comitiis abeſſe non, niſi ægerrimè, paſſus ſit; & ne mortuus nimium deſideraretur, cum ne medicinæ ſtudioſi deficerent, ſatis providè caverat, ne ſtudioſis præcepta deeſſent, ſua reliquit ſcripta; quæ ſi quis diligenter evolvat, næ ille haud facilè alium requirat magiſtrum.

magiſtrum. Reliquit autem tam multa (quod idem de LINACRO prædicari poteſt) aut latinè ſcripta, aut è Græcis verſa, ut ipſum Latium latino ſermone, tum etiam Græcis auctoribus, ingenti theſauro, ditaverit. Sic fuit CAIUS cum inter homines eſſet; ſic ſuas ipſe vices etiam adhuc explet mortuus.

Talium patronorum auxiliis, non mirum ſi in altum excreverat ars Medica; tamen etiam in rebus tam opimis aliquid erat quod deſiderares; cum anatomia pro dignitate parum erat exculta. Cum vero nihil omnium, quæ in medicinâ tractantur, illâ fructuoſius & uberius ſit; nihil unde ad morborum vim & naturam explicandum tam certa argumenta ducantur, qui nullo anatomiæ uſu percepto morbos aggreditur, perinde facit ac imperator, qui, naturâ loci ubi dimicandum eſt non exploratâ, confligere parat. Hujus rei palmam ab omnibus ante natis ſibi vendicat CALDWALDUS. CALDWALDUS humani corporis rationem diligenter inſpiciendo ac contemplando, multum ſuâ ſibi induſtriâ laudis attulit, & huic arti dedit ortum, huic creſcendi facultatem, hanc ſtipendiis & honoribus aluit, LUMLEIO ſuo in ſocietatem laudis aſſumpto; LUMLEIO ſuas præbente & opes & conſilium.

Caldwaldum poſt paulo excipit Goulstonus, in eâdem arte celeberrimus. Qui perfectam Græcæ linguæ ſcientiam Aristoteli & Galeno interpretando, acumen autem & induſtriam, ab Aristotele ſuo ſumpta, anatomiæ promovendæ adhibuit: &, prælectionibus inſuper pathologicis inſtituendis, ingentis pecuniæ vim feliciter impendit. Multam ſanè hic & utilem operam arti navavit, necdum tamen eam perfecit. Culter ille medicus à Caldwaldo inventus, Goulstono traditus, Harveii manibus committi debebat: Harveii dextrâ & conſilio mirifica opera daturus.

Et Jure quidem: Nam ille vir, licet in veterum ſcriptis verſatiſſimus, nullius tamen, niſi omnium antiquiſſimæ naturæ, decretis addictus, ipſam de ſuis arcanis conſulere, ipſi maluit de ſe credere. Hanc igitur per abſtruſa ſua & abdita viarum, tanquam ignotæ regionis oras & angulos, ſcrutando & rimando, ductu ingenii ſui, & miniſtro artifice anatomices cultro, diligenter perſecutus, tandem omnes ejus partes, etiam auribus humanis vix ſatis cognitas, oculis fidelibus ſubjecit. Unde factum eſt ut, induſtriâ & acumine non ante homini dato, arcanum illud ingens, ab

om-

omnibus ſeculis celatum, ſanguinis circuitum explicuerit.

Hoc unum hujus viri inventum omnibus omnium Græcorum laudibus reſpondet. Hoc nihil ad medendum utilius anteceſſorum induſtria comparavit, nihil uberius. Ab hoc enim uno fonte omnis hæc, quæ nunc ubique gentium tantâ cum laude viget, morbos curandi ratio manavit. Ab illo igitur omnes veræ medicinæ annales & faſti procedere debent, & jure ſummo vocabitur immortalis Harveius, & practicæ parens medicinæ.

Hoc autem hujus viri inventum nos cum omnibus gentibus, quæ ejuſdem utilitate æquè fruuntur, miramur. Eſt autem præcipuum quoddam, quo noſtræ ſocietati conſuluit (à nobis præcipuo ore memorandum) quod hoc ſolenne & liberale profeſſorum convivium inſtituit. Ex hoc enim doctiſſimorum hominum convictu amicitiæ jucundiſſimi fructus oriuntur: ex hoc colloquia, conſilia, monita, egregiè factorum laudes, & ad eadem cohortatio: ex hoc conſociatio atque communitas, mutuis officiis gubernata, plurimis commoditatibus augetur: hoc alias quam plurimas utilitates continet, ſed illâ vel maximè præſtat, quod juniorum æmulantium non modo excitentur ſtudia, ſed & ipſi animi ad rem

geren-

gerendam quaſi majores ſimul ac alacriores fiant.

Rarâ felicitate, & huic forſan ſocietati propriâ, fratres, contigit, ut nemo ferè medendi gloriâ præſtiterit, quin idem vir munificentiſſimus exſtiterit. Quis enim ſuorum æqualium Hameio in praxi medicâ præclarior? Quis liberalitate? Quis poſteà Radclivio? Quis enim hoc Æsculapii domicilium, incendio deletum, magnificè inſtauravit? Quis haſtæ ſubjectum redemit? Quis cænaculum Harveii convivis dignè ornavit? Quis lautiſſima prædia nobis ſupremis tabulis legavit? Quis etiam noſocomiis munificè favendo, noſtræ etiam dignitati conſuluit? Quis niſi Hameius? Hameium hoc ſplendidiſſimum ædificium; Hameium cænaculum, ærarium, noſocomia; Hameium omnia prædicant. Nec minus celebranda eſt nupera Radclivii munificentia. Qui omnes ferè omnium munificentias amplitudine ſuâ complectitur. Radclivius, tam in medicorum, quam in literatorum omnium uſus contulit, non ingentem pecuniæ numerum, ſed propè ignotos nummi theſauros. Quam munificentiam, cum oratiunculæ noſtræ finibus major ſit, & recentior quam ut prædicari ſit neceſſe, ſilentio prætereum. Illa

vero

vero ne prætereamus convitia, virum hunc, inter muſarum ſedes, & intima doctrinæ penetralia, diu ſeneſcentem, diu inclareſcentem, ſcientiarum elementa vix deguſtâſſe. Hoc quidem nonnullis eo probabilius videri poſſit, quod in illo natura, quid per ſe efficere poſſet, experiri videbatur; & quod in illo ingenii fœcunditas doctrinæ vim longè ſuperabat. Hoc quidem verè prædicari poteſt, habuiſſe eum divinam quandam memoriam; & cùm ingenio velociſſimo præditus eſſet, ita celeriter quicquid voluit arripuiſſe, ut ex PLATONIS ſententiâ, non diſcere, ſed recordari videretur. Erat enim ei tam acuta mentis acies, ut ſimul ac ad aliquid animum attenderat, quæ in eo inerant omnia, uno quaſi intuitu pervaderit. Ex quo factum eſt, ut incredibilis quædam ingenii ſagacitas longam uſûs diſciplinam minus deſideraret. Cum igitur vir eximius ab artis ſuæ præſtantiam gloriæ ſatur eſſet, ex doctrinâ famam omnem contempſit. Tanto vero famæ celebritate fuit, tantam ſui expectationem ubique fecerat, ut ſolus ille inſtar omnium medicorum videretur. Illo abſente, leviter ægrotantes illico deſperare; illo præſente, graviſſimis morbis laborantes metus omnes deponere.

Sed utcunque de RADCLIVIO ſtatuant poſteri, de FREINDO veſtro certè nihil tale cuiquam venerit in mentem ſuſpicari. Qui magna naturæ dona arte confir-

confirmavit & auxit. Nam ad eximium & illuſtre ingenium omnigenæ eruditionis & doctrinæ ratio ac conformatio acceſſerat. Græcarum vero & Latinarum literarum, ſi quis alius, erat admodum peritus, quarum omnem elegantiam patrio ſermone vividis coloribus expreſſit, trium linguarum vir doctiſſimus. Tali igitur tantoque inſtrumento ornatus, auſus etiam HIPPOCRATIS fontes recludere & exhaurire, mirum ni, ad artem medicam accinctus, eam ſummâ cumulaſſet eloquentiâ, & morborum curationem doctiſſimè ſimul & elegantiſſimè tradendo, tum medici, tum ſcriptoris optimi famam ſibi comparâſſet. Variolas vero, morbum illum matribus ſimul & proli inviſiſſimum, curandi methodum quam propè novam, quanto cum acumine, & in rebus arduis, quanto cum judicio deſcripſerit? Dubitari tamen poteſt an ingenium hujus viri, & artes egregias prius miremur, an diligentiam & induſtriam. Quâ tam ingentem medicorum multitudinem filo hiſtorico tantâ cum perſpicuitate & delectatione contexuit. Quâ Græciam, Arabiam, Italiam, Angliam, quaſi diſperſæ medicinæ membra, ut in fabulis de MEDEÆ fratre dicitur, colligendo rimatus eſt. Quis ſatis mirari poteſt virum, tot tantiſque curis & occupationibus diſtentum, tam multa & ardua rerum animo capaci

paci complecti, & induſtriâ fideliter exequi potuiſſe? Sed hæc cum exteris omnibus admiramur: Benevolentiam vero ſingularem, quâ nos & artem noſtram proſecutus eſt, nos certè præcipuis laudibus efferre decet. Hæc enim res eum, etiam ut ad ſenatorium ordinem adſciſceretur, impulit. Quid enim ei in illo munere obeundo antiquius erat, quam ut jura noſtra & privilegia propugnaret, ſervaret, augeret? Hæc etiam res ei in animum induxit, ut, cum veſtro omnium conſenſu, pactio cum academiis iniretur, ut, niſi alterutrius academiæ alumnis, in hoc ordine locus in poſterum detur nemini. Ne quis indoctus ſcilicet, titulo ſuo glorioſus, medicinam tractando contumeliis afficeret. Hunc virum non diligemus? non omni ſtudio & honore proſequemur? Proſequemur ſanè ſemper; ſed nunc temporis in eo diutius immorari vetat me propè decurſum dicendi ſpatium, & ad metam feſtinans oratio.

At mihi quantumlibet feſtinanti manum injicit SYDENHAMUS, nimium ſero fortaſſe ſalutatus. SYDENHAMUS hoc ſibi præcipui ſumit, quod aeris diverſos ſtatus, certiſſima epidemicorum morborum indicia, curioſè inveſtigans, diligenter enarrabat; morbos exinde profectos, una cum ſignis eoſdem comitantibus, accuratè depingens; arte ſcribendi

ſimplex

ſimplex & apertus, atque adeo utiliſſimus; in philoſophando perparcus; præceptis ex uſu & certâ experientiâ ductis abundans: hâc in re, ut in cæteris par, vel HIPPOCRATI anteferendus, quod variolas, ignotum antiquis morbi genus, rectè tractandi rationem primus invenit, & inventam verè & feliciter aliis impertivit.

In his viris memorandis, unum illud occurrit notatu digniſſimum, neminem inſignem exſtitiſſe in medicinæ ſcientiâ ſine ſummâ induſtriâ; neminem diu præclarum, niſi qui Græcos fontes adiiſſet, ARISTOTELEM, HIPPOCRATEM, GALENUM. His artibus LINACRUS & CAIUS effulgebant; his FREINDUS; his, mihi jam ultimo loco, ſed non ultimá cum laude, dicendi, PELLETUS & PLUMPTREIUS; nuper deliciæ, nunc deſiderium. PELLETTUS in præſidendi munere diu & præclarè verſatus, ac politioribus literis inſtructiſſimus, laudationes has ſolennes (quarum eum certè participem eſſe jus & fas poſtulant) aliquamdiu non ritè intermiſſas revocavit. PELLETTUS futuris oratoribus viam egregiè laudandi commonſtravit, &, ne quo ornamento ſua careret oratio, circuitum ſanguinis elegantibus verſiculis illuſtravit.

PLUMTREIUS autem, huic ſocietati pari cum laude præpoſitus, utiliſſimum illud novæ Pharma-

copœæ

copœæ opus, diu efflagitatum, ritè abſolvendum curavit. In quo munere obeundo, ita occupari, ita delectari videbatur, ut, exacto tandem, & ſibi & gloriæ ſuæ diu ſatis vixiſſe videretur, ac pro breviore vitâ diuturnæ memoriæ monumentum ſibi extruxiſſe.

Scio multos excellentes viros à me, temporis anguſtiâ, prætermiſſos; de quorum tamen inventis nulla unquam ætas conticeſcet. GLISSONUM, WILLISIUM, CROUNUM, LOWERUM, HALÆUM libenter omnes commemorabunt poſteri; præcipuè vero honoratiſſimum illum virum, è procerum numero, MARCHIONEM DORCESTRENSEM. Qui mathematicam, philoſophiam, juris utriuſque, legumque ſcientiam, & omnem denique homine nobili dignam doctrinam medicinâ cumulavit. Qui honoribus à regio fonte derivatis ſocietatis noſtræ, ſcilicet doctoris, titulum adjecit; & nobis in benevolentiæ teſtimonium dono dedit tam ingentem omnium librorum ſupellectilem, quam vel APOLLO olim Palatinus, vel recentior unquam recepit MINERVA.

Hi ſunt veſtri majores, ſocii ornatiſſimi, viri medendi gloriâ præſtantiſſimi; & iidem maximam partem munificentiſſimi. Nec vero hos tantum, ſed ejuſmodi innumerabiles noſtra tulit ſocietas, &

in poſterum ſemper prole non diſſimili gaudebit. Quid enim læti non nobiſmet augurari licet, cum inter nos verſentur, qui Linacros & Caios referant? Cum vir, antiquæ probitatis, fideique diu ſpectatæ, rebus noſtris, ne quid detrimenti capiant, præſidendo invigilat? Neque ſolum cuſtos ille integerrimus, ſed ubi opus fuerit, in rebus quibuſcunque arduis, vindex futurus, & propugnator acerrimus.

Veſtrâ patientiâ diutius abuti non poſſum, cum neque cohortatione aliquâ opus eſt, neque à me commendatione. Eandem enim viam, quam tantâ cum laude ingreſſi eſtis, gnaviter inſiſtentibus, eadem, & majora præconia, vobiſmet olim perſolventur; quibus & ſero perfruamini, & oratorem tandem ſortiamini longè facundiorem.

FINIS.